

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

Nous n'avons pas conservé les épigrammes traduites du grec.

JOANNIS NICOLAI SECUNDI EPIGRAMMATUM LIBER UNUS.

IN SCHOLAM BITURICENSEM,
IN QUA ANDREAS ALCIATUS LEGES CIVILES INTERPRETABATUR.

E_1 v.1 Aede quis hac habitat ? Deus an Dea ? Jam mihi mentem
2 Cynthius insolita religione movet :
3 et mihi jam versus facili nascuntur in ore :
4 seu Deus hic habitat, seu Dea, numen adest.
5 Et Deus haec, et Diva potens sacraria servat.
6 Quae Dea ? De caelo quae modo sera redit ;
7 aequa bonis, nec iniqua malis quae praemia librat.
8 Quis Deus ? Alato qui pede carpit iter,
9 arcas Atlantiades, magno satus e Jove, cujus
10 molle sub arguto pollice tinnit ebur.
11 Et potuit rursus caelo Dea justa relicto
12 caede coloratas orbis inire vias ?
13 Quaeque prius metuens scelerum cunabula fugit,
14 in mala nunc audax inveterata ruit ?
15 Scilicet hac caelum virgo sub lege reliquit,
16 ut duce Mercurio carpere posset iter.
17 Carpsit iter, primumque vaga hic vestigia fixit,
18 juncta ubi facundo cum duce regna tenet ;
19 insuetoque modo mentis decreta severae
20 ornat festivi dotibus eloquii.

IN PETRUM QUEMDAM.

E_2 v.1 Cum tu sis levior volante fronde,
 2 pluma, cortice, quaeque sole puro
 3 per leves atomi feruntur auras,
 4 de petra tibi nomen hoc parentes
 5 mirabar tribuisse ponderosum ;
 6 sed petram quoque pumicem vocamus.

AD CAROLUM CATSIUM.

E_3 v.1 Janus ancipiti vetustus ore,
 2 labentis tacite novator anni,
 3 adest, Carole ! Quid moramur ? Eia,
 4 vivamus, neque creduli futuris,
 5 carpamus spatium volantis anni.
 6 Sic o sic tua cuncta Di, Deaeque
 7 non isthoc modo, pluribus sed annis
 8 fortunent, seriesque tota caeli
 9 sit patrona tuis amica votis.
 10 In primis Dea, quae creata ponto,
 11 undosos animis movet tumultus,
 12 et numquam vacua gravis pharetra,
 13 et semper vigili timendus igne,
 14 lascivae comes aliger parenti,
 15 sint mites tibi, prosperentque molles
 16 quas dabunt tibi, vel dedere flammis.
 17 Multis basiolis fruaris, et te
 18 amantem sibi quaeque quaerat, et se
 19 substernat tibi laeta, mollicellis
 20 formosissima quaeque de puellis ;
 21 nec poscat neque gratiam, nec aera,
 22 nec rubri spoliolum maris, nec aurum,
 23 sed carus magis ipse sis vel aere,
 24 vel rubri spolio maris, vel auro.

IN IMAGINEM HERCULIS,
 CUPIDINEM TERGO GESTANTIS, AC PROPE SUCCUMBENTIS ONERI.

E_4 v.1 Ante quibus caelum fuerat leve pondus, iisdem
 2 nunc gravis est humeris sarcina parvus Amor.

IN CHARINUM, DEFORMIS UXORIS MARITUM.

E_5 v.1 Nuper, Charine, conjugem
 2 vidi tuam, tam candidam,
 3 tam lacteam, tam floridam,
 4 cultam, modestam, blandulam,
 5 ut si mihi tales bonus
 6 concesserit tres Jupiter,
 7 Diti daturus sim duas,
 8 auferret ut superstitem.

IN MEDICUM SICARIUM ET VENEVICUM.

E_6 v.1 Es simul medicus, simul chirurgus.
 2 Cur ? Mittis Stygium viros ad Orcum,
 3 et manu simul, et simul veneno.

IN PASSEREM GLYCERES.

E_7 v.1 Hostili passer felis raptatus ab ore
 2 languit, exiguam deposuitque animam.
 3 Quem postquam Glycere illacrimans fovitque papillis
 4 frigidulum, et tepido rore rigarit amans,
 5 palpitat, et tepido reptat nova vita per artus,
 6 moxque vagus rosea prosilit e latebra,
 7 et fugit aerias non observatus in auras :
 8 illa dolet, gemitus et ciet ore graves,
 9 guttaque per nitidas distillat vitrea malas,
 10 distinctum gemmis quale renidet ebur.
 11 Ingrate, heu, nimium passer, qui deseris illam,
 12 quidquid habes animae munere cujus habes.
 13 Dissimilem o sortem ! Te, lux mea, te sequor unam,
 14 cum toties dulci me spolies anima.

IN ALIUM PASSEREM EJUSDEM GLYCERAE.

E_8 v.1 Improba de dominae gremio dum provolat ales,
 2 corripitur dominae comprimiturque manu.
 3 Illa quidem moritur, sed sic juvat ire sub umbras :
 4 saepe mori simili non nece posse dolet.
 5 Hoc bene scit Glycere, formae sibi conscia tantae,
 6 inque sinu tepido callida condit avem.
 7 Nec mora : visa movere suas, et moverat, alas,
 8 atque iterum dominam pessima deseruit.
 9 Illa manu celerem sequitur ; cupit illa teneri,
 10 et manibus rursus virginis immoritur.
 11 Invidi, infelix, tam dulcia fata volucris,
 12 optavique isdem posse mori manibus.
 13 Illa negat : sortem o miseram ! Cur, impia, cur nam
 14 cui vitam renuis, renuis interitum.

IN POSTHUMUM.

E_9 v.1 Cur Posthumus cenat foris ?
 2 Ut ne domi cenet suae.

In MARULLUM et VARIUM

E_10 v.1 Marullus Variusque Septimillae
 2 donavere toga nova maritum.
 3 Nunc ille ambulat huc et huc togatus,
 4 et transit fora, porticus, tabernas,

5 vicos, balnea, fornices, popinas,
 6 nec toto decies revisit anno
 7 relictam dominis domum novellis.
 8 Securi modo saepe luce prima,
 9 securi modo saepe sole sero,
 10 securi medio die fruuntur
 11 Marullus Variusque Septimilla.

IN LYDIAM, FOEDUM AMATOREM, AVIDE AMPLECTENTEM OSCULANTEMQUE.

E_11 v.1 Ditis amatoris cur lurida basiet ora
 2 Lydia, miratus saepius ante fui.
 3 Desino mirari, vidi cum pingua nuper
 4 nobilis ignavi lingeret ora canis.

IN LYCORIDEM TOLETANAM.

E_12 v.1 Sex faciem drachmis divendit Ibera Lycoris,
 2 jure quidem tanti venditur illa foro.
 3 Si bene perpendas, tantum cupit illa rependi
 4 quae facit in vultu damna protervus amans,
 5 vix libanda dedit summis sua labra labellis,
 6 pars empti subito magna coloris abit.
 7 Disceditque labris pictis rubicundus amator,
 8 et sibi lucenti plus placet in speculo.
 9 At si quis positos turbavit fronte capillos,
 10 fit cito crinitus, qui modo calvus erat.
 11 Forte senex patulo improbulus lascivit in ore,
 12 dentibus efficitur ditior innumeris.
 13 Callidus hanc Cajus, tot ne dispendia formae
 14 sic redimat, moecham mane fututor adit.

IN EAMDEM.

E_13 v.1 Mitte peregrinis opplere coloribus ora !
 2 Nudus Amor nudae munera frontis amat.

IN ANTONIUM MOSSICAM.

E_14 v.1 Incauto juveni taurus ruit obvius, ille
 2 corripit injecta cornua bina manu,
 3 praecipitesque ferae cursum confregit et iras,
 4 et jam fracturus cornua visus erat.
 5 Noluit : Alcidae dedit hoc, ne fama taceret
 6 volvat adhuc mutilas cur Achelous aquas.

INSCRIPTIO ENSIS.

E_15 v.1 Pro domino sontem mihi fas haurire cruorem,
 2 cum furor innocuum justus in arma vocat.

INSCRIPTIO IMAGINIS FORMOSAE VIRGINIS AD VIVAM EFFIGIEM
A SEMET IPSO CAELATAE.

E_16 v.1 Ferripotens melius poterat Mars ducere caela,
2 sed Veneris vinci non tulit ora suae.

IN CAROLUM V. IMP. P. F. A. CUM IN AFRICA PUGNARET.

E_17 v.1 Aeneae sanguis, formosi sanguis Iuli
2 Carolus in regnum venit, Elisa, tuum,
3 vindicet a saevo pius ut tua busta tyranno,
4 armatas ducens per freta mille rates.
5 Illius auspiciis prisco reddentur honori
6 moenia, Romana quae cecidere manu.
7 Ergo age, in Aeneadas odium fatale remitte,
8 spectatumque veni Caesaris ora Dei.
9 Crede mihi, dices, hujus si ardore perissem,
10 causa meae fuerat mortis honesta magis.

IN GRAMMATICOS.

AD HIERONYMUM SURITAM, CAESAR AUGUSTANUM.

E_18 v.1 Si te ruris opes juvant beati,
2 si te liberioris aura caeli
3 salubris juvat, arborumque fetu
4 distinctus viror omnium colorum,
5 si lenis tremula quies in umbra,
6 qua fagus patulis comata ramis,
7 laurusve innuba, populusve pallens
8 confringit rabiem Leonis usti,
9 qua centum querulae strepunt volucres,
10 et centum superat modos volucrum
11 crudum Threicii scelus tyranni
12 longa Daulias integrans querela :
13 qua stringit virides amoena ripas,
14 crystalloque liquente serpit unda.
15 Mox cum murmure bulliens sonoro
16 pugnantes aqua concitat lapillos.
17 Haec si te recreant, amice dulcis,
18 nec cenare poeticis patellis,
19 lactucasque times cucurbitasque,
20 huc ad nos propera, ferasque tecum
21 totum quidquid habes facetiarum,
22 et quidquid salis, atque risionis,
23 triginta solidis diebus absens
24 servasti accumulans tuo Secundo.
25 Sed te per genium tuum, meosque
26 per Faunos, Dryadesque per puellas,
27 Hellespontiacum per et Priapum,
28 nec de Grammaticis, amice, quemquam
29 adducas precor huc, molesta gens est,
30 nec ridere mihi liceret illos,
31 ut mos est meus, omnibus cachinnis.

32 Nam quidam mihi retulit poeta,
 33 notae Grammaticum severitatis
 34 noctes atque dies dolenter angi,
 35 quod nec Grammaticum vocare doctum,
 36 nec se Grammaticam vocare doctam
 37 in libri titulo sui venusti
 38 possit, cum generis sit ipse neutri.
 39 Cui vates meus, ut gravi labore
 40 jam tandem miserum senem levaret,
 41 "Secure pater, inquit, eloqueris
 42 si te Grammaticosque masculinos
 43 tecum, Grammaticosque femininos,
 44 communesque simul, simulque neutros,
 45 omnes, Grammaticum pecus vocabis."

IN DISCESSUM SUUM EX HISPANIA, CUM REGIONIS AERE GRAVISSIME LABORARET.

E_19 v.1 Hesperiae fines arentes linquimus aegri,
 2 et petimus blandae dulce solum patriae.
 3 Et quorum in manibus melius moriemur, amicos :
 4 cur invisa meum terra moraris iter ?
 5 Cur mihi tot montes, cur saxa obstatis eunti ?
 6 Vere quid in medio me fera pulsat hiems ?
 7 Ninguida diluvium mittit liquefacta Pyrene,
 8 et madidus pluvias Jupiter addit aquas.
 9 Parce meo cineri, jam non, Hispania, vivo !
 10 Quid juvat, heu, manes sollicitare meos ?
 11 An vero, paucis cum sis fecunda poetis,
 12 laudem de tumulo quaeris acerba meo ?
 13 Ut lubet, ipse tamen fugiam terraque marique,
 14 ne mihi sis etiam post mea fata gravis.

IN CYNTHIAM PROPERTII.

E_20 v.1 Cynthia, te postquam mors abstulit atra, tuisque
 2 induxit furvas luminibus tenebras,
 3 tum vero similes verita est Latonia casus,
 4 occideret nebula ne labefacta pari.
 5 Et quoties tellus fraternos impedit ignes,
 6 exemplum fati Diva tui metuit.

IN CAROLI V. IMP. NATALEM.

E_21 v.1 Cur nive Caesareus gelida natalis inhorret ?
 2 Candida uti foret haec lux, voluere Dei.
 3 Cur igitur Phoebus latet aureus ? Haud opus illo est,
 4 Phoebeum fundit Caesar ab ore jubar.

IN NEAERAM.

E_22 v.1 Lumina mi atque animum cepit tua candida forma ;
 2 moribus offendor, torva Neaera, tuis.

3 Nec mihi nuda places, sed cum vestita recumbis.
 4 Basia me capiunt, non amo concubitus.
 5 Quot dotes natura dedit, totidem tibi mendas
 6 addidit, et tamen, heu, tete ego depereo.
 7 Nimirum caecus non est cum pulcra tuetur,
 8 tunc Argum, tunc et Lyncea vincit Amor.
 9 At mendas spectare aversa fronte recusat,
 10 tunc et Tiresia caecior et Thamyra.

AD ANDREAM ALCIATUM,
 EUM IPSE POETA ET HADR. MARIUS FRATER
 PERSONATI FIGURA SOLIS AC LUNAE NOCTU AD EUM VENISSENT.

E_23 v.1 Aureus en Phoebus, soror en argentea Phoebe
 2 jungunt diversas nocte silente faces.
 3 Alciate, hunc tribuunt tibi numina lucis honorem,
 4 cujus in aeterna luce vigebit honos.
 5 Miraris, nigra Phoebum te visere nocte ?
 6 Opposito laudes audiit orbe tuas.

DE LIBELLO SUO BASIORUM.

E_24 v.1 Casta quod enervi cantamus Basia libro,
 2 versibus illudit fusca Lycinna meis ;
 3 et me languiduli vatem vocat Aelia penis,
 4 quae Venerem in triviis porticibusque locat.
 5 Scilicet exspectant nostrum quoque noscere penem !
 6 Parcite turpiculae, mentula nulla mihi est.
 7 Nec vobis canto, nec vobis basia figo ;
 8 ista legat teneri sponsa rudis pueri.
 9 Ista tener sponsus, nondum maturus ad arma
 10 exercet variis quae Venus alma modis.

IN REGEM GALLORUM, BELLUM RENOVANTEM.

E_25 v.1 Armigerumne Jovis, volucris cristata, laccessis ?
 2 Tamne cito exciderunt vincula Ibera tibi ?
 3 Quid petis Italiam tam longo, Galle, volatu ?
 4 Innumeros Gallos illa recondit humus.
 5 Quod si longinquas cura est tibi visere sedes,
 6 Idaei montis culmina celsa petas ;
 7 turritamque colas matrem, et cava tympana palmis
 8 concute, et horrisono cornua rauca sono ;
 9 correptusque furore, hosti quae tela parabas,
 10 inguinis haec facias caede cruenta tui.
 11 Talia namque decent Gallum, non arma movere,
 12 et terram bellis concutere et maria.

IN EUNDEM.

E_26 v.1 Exemplum infandi sceleris, Scarabaeae, relinquo,
 2 ipse etiam Gallus nunc movet arma aquilae.

3 Galle, cades, nostrique ales Jovis aetheriique
4 cristatum saevo conteret ungue caput.

IN JOVIUM.

E_27 v.1 Tenduntur nervi, formosa quiescit in ulnis,
2 Cypridis ad blandum sollicitatur opus,
3 nec persuadetur Jovius, soletur ut illam,
4 o nimium gelida religione virum !

IN FICTOS AMICOS.

E_28 v.1 Intumeant Zephyris si turgida vela secundis,
2 et veniant fatis omnia laeta tuis,
3 mille tibi comites, et mille parabis amicos,
4 affinis, dominus, cunctaque solus eris.
5 At postquam infidum mutans semel aspera vultum
6 ingruerit velis aura nociva tuis,
7 tum, qui jam fueras tot circumseptus amicis,
8 et modo qui dominus, qui modo frater eras ;
9 haec sola a cunctis infelix dicta reportas ;
10 "Quis mihi ? Quid tecum ? proximus ipse mihi."

IN GELLIAM.

E_29 v.1 Cum mihi de variis traheretur sermo puellis
2 tecum, deque bonis, Gellia, deque malis,
3 sic mihi tum memini te respondisse, supremum
4 et finem verbis imposuisse meis.
5 Illa sapit demum quae se putat insipientem,
6 desipit haec nimium quae sibi, Jane, sapit.
7 Hic ego, quid vero de te, mea Gellia, sentis ;
8 an sapere, an contra stulta videre tibi ?
9 Stulta, refers, sum stulta mihi, ridesque suave,
10 scilicet officio quam bene functa tuo !
11 At cave, ne, dum te sic stultam dicis, ut isto
12 te mihi prudentem testificere modo,
13 Gellia, captata et frauderis laude ; nec esse
14 prudens iudicio comperiare tuo.

IN QUEMDAM EX TEMPORE VERSUS FACIENTEM.

E_30 v.1 Dum te cuncta vident arta constringere lege,
2 effugiunt linguam verba soluta tuam.

IN QUEMDAM.

E_31 v.1 Dum tu elegos dicis quae heroica carmina scribis,
2 dignus eras veros qui faceres elegos.

AD FRANCISCUM HOVERIUM, MACLINIENSEM, PRO MARULLO POETA COMMODATO.

E_32 v.1 En, Francisce, redit tuus Marullus
 2 aequae cultus ut ante, dives aequae,
 3 nec vel versiculo minutus uno :
 4 thesaurum tamen ille jam reliquit
 5 nobis ex opibus suis perennem,
 6 nullo pauperior nec asse factus.
 7 Qua pro re domino tot esse grates
 8 relatas cupimus, quot expolitos
 9 versus continet optimus Marullus,
 10 quot sales lepidos, jocosque molles,
 11 quot laudes veterum pias Deorum.

AD EUMDEM DE EODEM.

E_33 v.1 Cum legerem faciles elegos, Francisce, Marulli,
 2 miratus lepidos cum gravitate jocos,
 3 jam quis adhuc, inquam, sani modo pectoris est, qui
 4 vera neget Samii dicta verenda senis ?
 5 Cernimus en culti mentem remeasse Tibulli,
 6 corpore conclusam, culte Marulle, tuo."

IN GELLIAM.

E_34 v.1 Si non est grave, si vacat,
 2 cur vendis Venerem, dic mihi, Gellia,
 3 cur vendis, quod emas libens ?
 4 At tu, si memini, saepe soles prius,
 5 cujus tantopere es modo
 6 parca, et facta tenax, reddere saepius
 7 quibuscumque rogantibus.
 8 Aut si nemo rogans, nemo volens erat,
 9 ipsam te memorant pias
 10 effudisse preces, et juvenum leves
 11 pellexisse animos tuum
 12 in votum faciles, quisnam etenim neget
 13 oranti tibi, Gellia,
 14 quaeso, tam pia, tam dulcia, tam bona ?
 15 At nunc, cum tibi languida
 16 vultum ruga secare incipit, et novas
 17 inspargit capiti nives
 18 aevi bruma rigens, nec modo dentibus
 19 os superbit eburneis,
 20 nec labris remanet qui fuerat decor,
 21 et fugit color ille, qui
 22 tingebat niveas purpureus genas,
 23 cur nunc, cur subito Venus,
 24 quam nunc te deceat vel dare maxime,
 25 emptam quam vel oportuit,
 26 cur nunc illa tibi, cur, rogo, venditur ?
 27 Non hoc, non tibi parcitas,
 28 quae pigro senio saepe comes venit,
 29 non, si te bene novimus,

30 hoc suadet nova nunc, Gellia, castitas.
 31 Sed si conjiciam sinis,
 32 divinabo equidem, si licet ipse nec
 33 vates, nec teneam sagax
 34 aut cantus volucrum fata canentium, aut
 35 pennae praepetis omina,
 36 olim cum roseas prima juventula
 37 pinxissetque genas tibi,
 38 pinxissetque simul labra corallina,
 39 nata ad dulcia basia,
 40 atque instructa suis lumina spiculis
 41 ornasset ciliis nigris,
 42 tum tu, quas dederat pulchra Venus tibi,
 43 dotes omnibus affluas
 44 gratis larga dabas, scilicet has tibi
 45 sperans perpetuas fore.
 46 At postquam periit laeta juventula,
 47 et jam te in speculo videns
 48 formam longe aliam cernere coges,
 49 et rugis faciem asperam,
 50 canosque ad speculum vellere limpidum
 51 invisos misera occipis,
 52 tum demum gemis, et te miseret tui,
 53 et lapsos virides male
 54 nulla fruge dies, Gellia, devoves,
 55 et lucri in senium nihil
 56 quaesivisse dolet, paenitet et pudet.
 57 Ergo dum licet, et brevi
 58 comprehendi numero canities potest,
 59 et rugae numerabiles,
 60 necdum laesa parum forma virentibus
 61 plane spernitur a viris,
 62 jam mutas animum callida prodigum,
 63 et mirantibus omnibus
 64 aurum difficilis muneraque expetis,
 65 ut postquam tremulo gradu
 66 deforme adfuerit mox senium tibi,
 67 et nemo fuerit, tuis
 68 qui junxisse labris oscula pallidis,
 69 mollem tangere qui sinum,
 70 qui corpus cupiat tangere mortuum,
 71 non desit tibi scilicet,
 72 quo tum rursus emas, quod modo venditur.

IN EAMDEM.

E_35 v.1 Gellia miraris cur auro vendat amorem ?
 2 Scilicet ut sit, quo callida rursus emat.

IN BIBLIOTHECAM IMP. CARLI V.
 QUAE EST IN CURIA HAGIENSI APUD BATAVOS
 COMPARATA IMPENSIS JOAN. HARIJ CANONICI.

E_36 v.1 Ecquid adhuc sacri virides Heliconis ad undas

2 quaeritis Aonias, nescia turba, deas ?
 3 Hic nunc Musarum domus est, hic doctus Apollo,
 4 hic posuit sedes Dorica Diva suas.
 5 Hoc meruit sacrique chori Christique sacerdos
 6 Harius, in libros qui bene vertit opes.

IN CALUMNIAM LUCIANI, LATINE REDDITAM A RUMOLDO STENEMOLA.

E_37 v.1 Quas struit innocuae versuta Calumnia vitae,
 2 mille cupis fraudes noscere, mille dolos ?
 3 Perlege quod media Rumoldus ab Hellade sumptum
 4 nobile Palladiae transtulit artis opus.

IN DIALOGOS ALIQUOT LUCIANI, CARMINE LATINO A SE ET FRATRIBUS REDDITOS.

E_38 v.1 Qui cupis a tetricis paulisper ludere curis,
 2 et dare ridiculis tempora pauca Deis,
 3 haec lege, quae nuper sermone vagantia laxo
 4 Graeca, per Ausonios jussimus ire pedes.
 5 Primus mellifluo quondam haec dedit ore disertus
 6 Lucius, ille hominum risor et ille Deum.

AD JOANNEM SCORELIUM PICTOREM, PROPEMPTICON.

E_39 v.1 I fausto pede patrias ad urbes,
 2 divinae renovator artis, ito ;
 3 nec picus vetet ire te molestus,
 4 nec cornix iter ominosa rumpat :
 5 Faunus dux erit, et celer deorum
 6 interpres, liquidas volans per auras.
 7 I fausto pede patrias ad urbes.

IN BUBALUM MALUM POETAM.

E_40 v.1 Daedala mens hominum quidquid scrutata quod aut os
 2 protulit, artificum vel posuere manus,
 3 Agrippa hostili totum laceraverat ore,
 4 ausus in Aonias sumere tela deas.
 5 Non tulit hoc vates, et, numine concitus aequo,
 6 Bubalus in sontem carmina dira canit.
 7 Quodque magis laudes, nullo suadente favore
 8 scribit, et ignotis fert miseratus opem.

IN EJUSDEM INEPTUM CARMEN DE MORBO SUO,

E_41 v.1 Bubalus aegrotat : Paeon, succurre poetae,
 2 ne, quoties languet, tam mala verba vomat.

IN PICTURAM ICARI.

E_42 v.1 Tramite securam medio decurrite vitam :
 2 sit satis hoc pueri vos didicisse malo,
 3 torrida Phoebeo qui dum loca pervolat igne,
 4 ignoto posuit nomina prima mari.

IN CAESAREUM TRIUMPHUM BONONIAE POST CORONATIONEM CELEBRATUM,
 AB NICOLAO HOGENBERGO SCULPTUM IMPRESSUMQUE.

E_43 v.1 Caesareas sanctique patris longo ordine turmas
 2 adspice, et artificem ter venerare manum,
 3 tradere quae potuit rigido mansura metallo
 4 nomina magnorum tot generosa virum.
 5 Pictor Hogenbergus, quod per tua saecula cernas
 6 hoc tibi, posteritas vivida, fecit opus.

IN IIDEM OPUS.

E_44 v.1 Caesar et Hesperiiis, et qui dominaris Eois,
 2 accipe, quod tenebris te prohibebit opus
 3 non fato veniente cades, multosque secutus,
 4 ignotum longa nocte premere caput :
 5 sed cum victuris victurus, Carole, chartis
 6 ibis ad Antipodum regna, secutus avum.

IN MAGNIFICES AEDES, QUAS BRUXELLIS STRUXIT MAXIMILIANUS TRANSSEYLVANUS.

E_45 v.1 Cerne hospes, magni salientem e vertice patris
 2 insignem galea clipeoque et cuspidem divam.
 3 Adspice Mulciberum, quem dissecuisse cerebrum
 4 altifremi gravidum Jovis, obstetrice securi,
 5 finxerunt veterum mellita poemata vatium.
 6 Quique gerit pedibus celeres et vertice pennas
 7 Mercurium, namque hic praesto esse per omnia patri
 8 creditur, et jussas deferre per aera voces.
 9 Cerne et vocales tentantem pollice nervos
 10 Threicium vatem, qui carmine saxa potenti,
 11 ursosque tigresque trahit, rabidosque leones,
 12 dum gemit Eurydices fatum miserabile raptae,
 13 Persephonenque potest rigidam mollire canendo.
 14 Denique suprema merito quam sede locavit
 15 ingeniosa manus, procul a tellure remotam,
 16 suspice divinam Sophiam, quae arcana polorum
 17 rimatur, monstratque viam qua sidera tangas.
 18 At tibi dent Superi quod, Transylvane, mereris,
 19 qui facis, Ausoniae minus invidemus ut urbi.

TRIA MALA.

E_46 v.1 Quae mala sint hominum rebus tria maxima, scire
 2 quaeris ? Habe paucis : femina, flamma, fretum.

IN LIBELLUM JOACHIMI ROLANDI, MACLINIENSIS MEDICI DE NOVO MORBO SUDORIS.

E_47 v.1 Qui cupis ignotae naturam discere pestis,
 2 et formidatae doctus opus furiae
 3 spicula securus vapidae contemnere mortis,
 4 accipe, qua vites callidus arte malum.
 5 Accipe, qua tollas cum jam penetraverit ossa ;
 6 accipe, qua claudas et redeuntis iter.
 7 Scilicet haec multo tibi dat sudata labore,
 8 gloria Macliniae lausque vel una suae,
 9 primus Apollinea Joachimus in arte medendi :
 10 quae nuper miseros dum latuere homines,
 11 heu, quot in ardenti fumarunt corpora lecto,
 12 mortis et ignotas extimere vias !
 13 Heu, quot ubique animas exsudavere tepentes,
 14 transmissi Stygiis in nova regna vadis !

IN NERONEM.

E_48 v.1 Tarpeia ferus arce Nero subsidere vidit
 2 urbis opes magnae, populantibus omnia flammis,
 3 clamantum dolor unus erat juvenumque senumque ;
 4 solus at hic, nullo rerum discrimine maestus,
 5 aures atque oculos ululatu pavit, et igni.

AD RUMOLDUM STENEMOLAM, PRAECEPTOREM SUUM,
 QUUM EI AMATORIAS ALIQUOT ELEGIAS MITTERET.

E_49 v.1 Cui mitto calidos novos amores,
 2 nec satis lepidos, nec expolitos ?
 3 Nimirum tibi. Namque tu putabis
 4 meas esse aliquid, Rumolde, nugas,
 5 adsuetus genium probare nostrum,
 6 Jam tum, cum imperio tuo sonabam
 7 parvus carmina rennente lingua.
 8 Ergo habe tibi quidquid hoc amorum est,
 9 et quidquid venit a meis Camenis,
 10 totum crede tui laboris esse.
 11 Mox autem recitare plura certum est,
 12 cum nos Haga brevi tenebit ambos,
 13 et juncti pariter locum teremus
 14 sacratum Veneri et novem deabus,
 15 longo qua tilia explicata tractu,
 16 diffundens patulos opaca ramos
 17 frangit sideris impotentis aestum.

AD MARCUM ANTONIUM CAIMUM.

E_50 v.1 Macte novis animis : sic itur ad ardua caeli,
 2 digne domo, nec frustra adytis admisse repostis
 3 Alciati magni : tu nunc eris altera fama

4 Gymnasii, quod nomen habet, seu qua levat undis
 5 sol currum, seu qua tingit fumantia lora.
 6 Ergo tuis insiste viis, Caime diserte,
 7 exemplumque novum tanti tueare magistri,
 8 Romanas leges Romano qui ore recepit
 9 oblitus jam paene, nefas ! Sermonis aviti ;
 10 primus et externa longe de gente reduxit
 11 exilium patriae perpessus mille per annos
 12 barbaria in foeda, et natalibus intulit arvis
 13 antiqui Latii, dominaque locavit in urbe.

AD MATRONAM QUAMDAM, UT IRAE MARITI CEDAT.

E_51 v.1 Mitibus obsequiis animos compesce feroces :
 2 tristis in iratos non habet ira locum.
 3 Libera quae ripis diductis unda vagatur,
 4 tranquillum tacito tramite radit iter.
 5 Haec eadem fines si constringatur in artos,
 6 praecipites rauco murmure rumpit aquas.

IN DUOS AMANTES, MUTUO SE BASIANTES IN AEDE SACRA.

E_52 v.1 State cum pulchris juvenes puellis,
 2 jungite et dextras, neque templa, nec vos
 3 ara divellat veneranda Divum.
 4 Quin inauratae temerentur arae
 5 aureo pro basiolo puellae.
 6 Laedit, et magno hic pudor est pudori.

VOLUPTATIBUS OMNIBUS ADHIBENDUM ESSE MODUM.

E_53 v.1 Est modus et dulci : nimis inmoderata voluptas
 2 taedia finitimo limite semper habet.
 3 Cerne novas tabulas, rident florente colore,
 4 picta velut primo vere coruscat humus.
 5 Cerne diu tamen has, hebetataque lumina flectes,
 6 et tibi conspectus nausea mollis erit ;
 7 subque tuos oculos aliquid revocare libebit,
 8 prisca quod inculta saecula tulere manu.

DETESTATIO MORTIS ARCESSITAE.

E_54 v.1 Quid juvat, heu, ferro fatum properare ? Vel undis ?
 2 Sponte venit, tacitum nec remoratur iter.
 3 Scilicet haec omnis spatiosum turba per orbem,
 4 victima Plutonis nil miserantis erit.
 5 Unum omnes exspectat iter, quod Troius heros,
 6 quod Numa, quod Tullus dives et Ancus iit.

AMOREM ESSE IMMEDICABILEM.

E_55 v.1 Artifices herbae sanant genus omne malorum,
2 solus amor medicam spernit et horret opem.

IN EAMDEM SENTENTIAM.

E_56 v.1 Arcessit medicas curas quodcumque malorum est :
2 ipse sibi vulnus nutrit acerbus amor.

ALIUD

E_57 v.1 Cum gemina sanetur ope quodcumque malorum est,
2 solus amor carmenque sacrum contemnit et herbas.

AD GRAMMATICOS, CUR SCRIBAT LASCIVIUS.

E_58 v.1 Carmina cur spargam cunctis lasciva libellis,
2 quaeritis ? Insulsos arceo Grammaticos.
3 Fortia magnanimi canerem si Caesaris arma,
4 factave divorum religiosa virum,
5 quot miser exciperemque notas, patererve lituras !
6 Quot fierem teneris supplicium pueris !
7 At nunc uda mihi dictent cum basia carmen,
8 pruriat et versu mentula multa meo,
9 me legat innuptae juvenis placiturus amicae,
10 et placitura novo blanda puella viro,
11 et quemcumque juvat lepidorum de grege vatum
12 otia festivis ludere deliciis.
13 Lusibus at laetis procul hinc absistite, saevi
14 grammatici, injustas et cohibete manus ;
15 ne puer ob molles caesus lacrimansque lepores,
16 duram forte meis ossibus optet humum.

IN LAUDEM ANDREAE ALCIATI,
QUUM URBEM BITURICORUM PROCUL ADVENIENS PRIMUM ASPICEREM.

E_59 v.1 Biturigum turrets et moenia sacra Camenis,
2 salvete, ex alio nobis procul orbe petita,
3 magnus ubi Alciatus tanto post tempore primus
4 Musarum fidibus Themidis decreta severae
5 aptat, et antiquo revocatur vita Soloni.

AD JANUM.

E_60 v.1 Jane biceps, anni tacite labentis imago,
2 postquam omnem Caesar sub jura redegerit orbem,
3 claude tui portas templi, Pax aurea mundo
4 surgat, et auspiciis paribus cum Caesare regnet.

IN COMMENDATIONEM TOPICORUM LEGALIUM NICOLAI EVERARDI, PATRIS.

E_61 v.1 Constituunt alii duro de marmore signa,
 2 constituit tabulas ille vel ille sibi,
 3 ille domus fundamentis deponit in imis,
 4 quae referant vultus aera notata suos ;
 5 scilicet haec olim multos mansura per annos
 6 post obitum vitam reddere posse putant.
 7 Tempore sed tabulae intereunt, et tempore marmor,
 8 rubigo in cineres et dabit aera leves.
 9 Attamen, ut maneant, nil, quam sine mente figuram,
 10 et certe nil quam corpus inane dabunt.
 11 Docte parens, quanto haec melius post fata relinques,
 12 testentur mentem quae monumenta tuam ?
 13 Nomen inexstinctum ad seros mittantque nepotes,
 14 usque sub extremos non peritura dies !
 15 Nempe urbes donec, et praedia rustica donec,
 16 donec erunt ripae, flumina donec erunt,
 17 donec patris erunt et donec jura patroni,
 18 jura cerebrosi donec erunt domini,
 19 dum puer imperio tutoris pressus acerbo
 20 damnabit longae tempora lenta morae,
 21 dum juvenis, tenerum inprudens fraudatus ob aevum,
 22 praetoris mitem saepe requiret opem,
 23 donec, sacratae legis praecepta secuti,
 24 convenient socio femina virque toro,
 25 donec suprema moriens testabitur hora,
 26 scribet et in tabulis jussa tremente manu,
 27 dumque reus, dumque actor erit, dum causidicorum
 28 perstrepet insano vendita lingua foro,
 29 iudex arbitrio dum lites dirimet aequo,
 30 praemia dansque bonis, praemia dansque malis,
 31 usque tuum toto nomen celebrabitur orbe,
 32 Longaque durabit saecula fama recens.

ALIUD IN EUMDEM,

DESIGNANS PRIMIS AC POSTREMIS SINGULORUM VERSUUM LITERIS LIBRI AUCTOREM.

E_62 v.1 Nicoleos vario longum quaesita labore
 2 ista dat extrema jam renovata manu,
 3 causa novi studii, juvenes, curaque resumptae.
 4 O si quis vobis est pietatis amor,
 5 laeto animo, grataque manu nova sumite dona,
 6 accipiat pretium hoc cura gravisque labor,
 7 utile sic vobis uti sit, dent numina, quidquid
 8 sudavit clari mens operosa viri,

DE FORTUNA, AN SIT CAECA.

E_63 v.1 Cur Fortuna oculis carere fertur ?
 2 Justos quod premit, et beat nocentes,
 3 at vero hac ratione caeca non est :
 4 internoscat enim bonos malosque,
 5 illos ut premat, hos juvet, necesse est.

IN COMMENTARIOS CUJUSDAM IN SOMNIUM SCIPIONIS.

E_64 v.1 Longo Scipiadae sopore mersi
 2 scripsit somnia Tullius disertus,
 3 nigra somnia nigriora nocte.
 4 At noster modo somniis repertus
 5 interpres facilis tenebricosus
 6 Petrus occidua profectus ora
 7 tandem illa explicuit nitore multo,
 8 clara somnia clariora luce.
 9 Sic jam sic vigilant uterque vatem
 10 per nostrum, Ciceroque Scipioque.

AD JANUM LUCIUM BRASSICANUM, POETAM.

E_65 v.1 Sculpsi, quodque manus et caela dedere peregi,
 2 exanimum spectas et sine voce caput.
 3 Utque diu vivas per nos in imagine parva,
 4 longaque conspicias saecula, mutus eris.
 5 Ergo age, perpetuum lapidi tu, Jane, silenti
 6 carmine vocali, si potes, adde sonum.

AD FRANCISCUM CRANEVELDIUM SENATOREM, POETAM.

E_66 v.1 Quale viatoris, ferventi sidere, flumen
 2 ora repentino sicca liquore beat,
 3 tale tuum nobis carmen, vir magne, removit
 4 si quid in affecto corde caloris erat.

AD LUCIUM ANGELUM ANDREAM RESENDIUM LUSITANUM, POETAM.

E_67 v.1 Quod tibi Pierios urbs adspiravit odores
 2 divite qua Delus nat sinuosus aqua,
 3 turris ubi vastae moles operosa superbit,
 4 moeniaque hostili non superata pede :
 5 non honor ille mihi debetur, docte Resendi,
 6 debetur fratri non honor ille meo.
 7 Sed sua Thespiades oblectamenta secutae,
 8 plectraque Phoebis aemula pectinibus,
 9 pertaesae lalicesque suos et Apollinis odas,
 10 haeserunt lateri, magne poeta, tuo,
 11 tectaue cum sacro subierunt hospita vate,
 12 mox et odorato rore rigatur humus,
 13 vestiturque locus violis, quas legerat ipsa
 14 Permessi in ripis Calliope roseis.
 15 Hinc tibi Castaliis fragrarunt dotibus aurae,
 16 fallor ? An in nostris naribus haesit odor ?

AD GEMMAM FRISIUM, MATHEMATICUM.

E_68 v.1 Gemma, cui secti patuerunt in via mundi,
 2 et quidquid longa vidit vertigine Phoebus,
 3 cui nubes superare vagas, sedesque repostas
 4 mente datum sancta est, et avito currere caelo,
 5 fatalesque rotas tereti suspendere ligno,
 6 immortale ferens nomen, dum gemma feretur
 7 in digitis, fulvoque decens radiabit in auro,
 8 Phoebeique terent iteranda volumina currus.

IN LACUM,
 IN QUO SUBMERGEBATUR BITURIGIBUS HIERONYMUS MORESINUS, MEDIOLANENSIS,
 ANNO 1532.

E_69 v.1 Abi, hospes, hinc, locumque linque famosum,
 2 haec est vorago diis sacrata Lethaeis,
 3 colore quam squalere cernis obscaeno,
 4 et luridi cognatione Cocyti.
 5 Haec illa dira, immitis, illa crudelis,
 6 juvenem in tenebras quae modo pigras mersit
 7 fortem, virentem, nobilem, Itala ex gente,
 8 inque ima raptum per vias humo occultas,
 9 unde est origo pestilens aquae taetrae,
 10 dimisit undas hinc ad usque Lethaeas.
 11 Abi, hospes, hinc, locumque linque famosum.

IN PONTICUM QUEMDAM, HISPANUM.

E_70 v.1 Attrectans digito muliebria, laeserat ungue
 2 Ponticus ; hunc resecat dente. Venustus homo est.

IN PICTURAM FABULAE PHAETONTIS.

E_71 v.1 Dum patrios moderatur equos puer impare dextra,
 2 perque ignota vagum sidera currit iter,
 3 orbis opes varias cinerem mutavit in unum.
 4 Ah, discat vires noscere quisque suas.

IN ARCEM REGINAE ALBA, PARISIIS.

E_72 v.1 Cernite, flaventes ubi volvit Sequana lymphas,
 2 semirutam, fertur quam coluisse prius
 3 effera funestae regina libidinis, arcem,
 4 nunc ultore mali ut tempore sola jacet !
 5 Et quassata undis ventis habitatur et imbri,
 6 multa ubi ferales nocte querantur aves ;
 7 Cypris ubi mitis, flammam exosa cruentas,
 8 Chaonias sedem ponere nolit aves ;
 9 qua strix, qua Furiae volitent, qua plurima fatum
 10 exululet raucis questibus umbra suum.
 11 Sic domus aeternum, numerosae conscia caedis,

12 impia lascivae facta luit dominae.
 13 Labuntur, lentis et condemnata ruinis
 14 implorant hominum pendula saxa manus.
 15 Implorant frustra : stant haec rata lege severa,
 16 instauratricem ne ferat ullus opem,
 17 aut gladios subeant, pretium pietatis iniquae.
 18 Et quis adhuc ausit facta nefanda sequi ?
 19 En, etiam saxis mortem censura minatur,
 20 longaque post cineres stant monumenta mali.

AD GRAMMATICOS.

E_73 v.1 Dicite, grammatici, cur mascula nomina cunnus,
 2 et cur femineum mentula nomen habet ?
 3 Sic ego, sic aliquis senior de gente verenda
 4 retulit, attollens longa supercilia :
 5 mentula feminei gerit usque negotia sexus ;
 6 inde genus merito vindicat illa sibi.
 7 Indefessus agit res qui sine fine virorum,
 8 mascula non temere nomina cunnus habet.

AD LUCIUM ANGELUM ANDREAM RESENDIUM, POETAM MONACHUM,

E_74 v.1 Angele, ad inmeritas laudes ignosce tacenti :
 2 sic tua declives plectra morentur aquas,
 3 vocalesque modos illex aurita sequatur,
 4 mitius et sortis te premat ira tuae ;
 5 nec te perpetuo gravet imperiosa cuculla,
 6 sed tua purpureus tempora cingat honos ;
 7 quaeque gerit laurum frons, et gerat illa galerum.
 8 Haec ego : fatipotens haec rata Phoebe velis !

AD EUNDEM.

E_75 v.1 Rebus in adversis animosus frange superbae
 2 jura Deae, dominamque rotam, quae singula versat
 3 stare loco impatiens, spera bene, forsitan astra
 4 adveniet grata hora suo, nec lenta moratur,
 5 cum te cornuta cinctum sacra tempora mitra
 6 sublimem sortis meminisse juvabit iniquae.

IN PUELLAS BITURICENSES.

E_76 v.1 Hei mihi, formosas isto qui quaerit in orbe,
 2 crescentem segetem quaerit in Oceano.
 3 Forte duae vel tres magna visuntur in urbe,
 4 nobile deformes quas decus esse vetat ;
 5 his adjunge decem, quas non contemnere possis,
 6 cetera monstrorum nomine turba venit.
 7 His tamen accumbunt juvenes, dignaeque videntum
 8 Cum quibus extensa proelia nocte gerant.
 9 Illos posse putem rabidae concumbere tigri,
 10 inque cruentatas turpiter ire lupas.